

mirantes set quedam earum pulcra galeria ferentes in capite que superiorem defendunt intuitum. vnde in eundo semper in itinere protendunt oculos ante pedes sunt coram earum maioribus uerecunde nunquam uerba locuntur superuacua ymo nulla coram eis/ nisi quando fuerint requisite in earum cameris ad laboreria sua manent & raro se conspectui patrum & fratrum & maiorum de domo presentant & procoribus non intendunt & similiter dicimus(?) de pueris iuuenibus domicelis quod nunquam nisi requisiti coram eorum maioribus loqui presumunt & quid plus| tanta est uerecundia inter eos videlicet inter con-^{35^o} sanguineos & affines quod nullo modo duo simul ad balneas siue termas accedere atemptarent/ si uero quis uelit filiam maritare. aut sibi ab alio requiretur pater filiam suam virginem proferet sponso futuro. & in hoc pater & sponsus simul conuenient obligationibus & pactis. nam si reperiretur contrarium matrimonium non teneret. pactis quoque & conuentionibus solempniter inter eos habitis & firmatis ad experientiam uirtutis domicella ducitur ad balneas siue termas ubi erunt matres & consanguinee sue & sponsi & pro utraque parte certe matrone ad huiusmodi officium specialiter deputate que uirginitatem domicelle cum uno ouo columbe primitus scrutabuntur & si mulieres que pro parte sponsi erunt experientia huiusmodi contente non fuerint quoniam bene potest mulieris natura opere medicinali restringi. matrona una ex predictis digitum unum alba & subtili syndone inuolutum sapienter nature imponens aliquantulum de uirginali corumpet uenam ut syndon illa de uirginali sanguine aliquantulum intingatur. Nam tante proprietatis & uirtutis sanguis ille existit quod eius macula nulla locione potest a pano ubi infingitur remoueri & si remoueatur. signum est quod corrupta fuerit/ nec sit proprie ille sanguis facta quoque experientia. si uirgo reperiatur ualet matrimonium. sin autem non Et pater puele ex conuentione quam fecerit per dominium penam suffert & debetis scire quod ad huius uirginitatis conseruantiam semper uirgines| in earum progresione itineris tam suauiter gradiuntur quod^{35^o} nunquam unus pes ultra unum digitum alium antecedit quia sepius adaperitur uirginis natura cum se nimium lasiue deducit item hoc inttligendum est de cathay prouincia oriundis. Nam tartari de huiusmodi solepnitate non curant quia eorum filie cum eis equitant & uxores vnde credib[i]le est quod aliquialiter corumpantur. gentes itaque prouincie manci consuetudinem conseruant cum cathay// Item fit aliud in cathay quod debetis scire quod apud ydolatri octuaginta quatuor sunt ydola quelibet suo nomine nominata/ & dicunt ydolatri quod a deo superno est propria uirtus cuilibet ydolo atributa videlicet uni super inueniendis rebus perditis. uni super prouisione fertilitatis terrarum & eis temperiem exhibendo uni super conseruatione bestiarum & sic de singulis tam in prospereris quam in aduersis. & quolibet ydolum est proprio nomine nominatum. & cuius-

*vide experi[enti]am
notabilem pro cognoscendo
virginem corruptam*

*nota quod apud ydolatos
84^{or} sunt ydola*